

hoc est, si credas, omnia a me impetrare poteris: et Matth. XVII. addidit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, (hoc est, humilem simul et ardentem) dicetis huic monti: Transi hinc illuc, et transibit: et nihil impossibile erit vobis.*

IV. Lactis potus securior est quam vini: hoc enim inebriat, illud minime. Pari modo fides securior est quam scientia, nam scientia inflat, ait apost. I. Corinth. VIII. fides autem mentem et rationem humiliat, dum divinæ auctoritati subjicit et in captivitatem redigit, ei persuadens, quod in rebus cœlestibus et supernaturalibus infans et cœca sit. Quo magis crescit periculum superbiæ et proterviæ: e contra, quo magis quis in fide proficit, eo magis in humilitate fundatur. Periculum scientiæ exprimitur Ps. CXXX. iis verbis: *Si non humiliter sentiebam sed exaltavi animam meam: sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea,* hoc est, si alte nimis sensi et sensui meo tribui, abjiciar a Deo, velut infans a lacte matris. Tales enim, alta nimis sapientes, perdunt tandem et abjiciunt fidem, vel abjiciuntur ab ea potius. Vinum, non lac, bibere voluit Pilatus, quando altam nimis captique suo sublimiorem proposuit questionem: *Quid est veritas?* quasi e Christo velut e philosopho sapientiam ejus audire vellet. Unde S. Bernardus, serm. XXIII. ex parvis, in eum locum scribit: *« Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum (Prov. XXV.); ita qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Quid tu, Pilate, seorsum interrogas Dominum; ut tibi susurret in aurem: Quid sit veritas? Multum est ad te, non dabitur sanctum cani, neque margarita porco. Quære potius fidei justum, satietatem intelligentiæ interim ne requiras. Merito autem, fratres, reverberata acie protinus resiluit, et responsum non sustinens; egressus est ad Judæos, quia ambulare cœperat in magnis et mirabilibus super se, quid esset veritas, percontatus. »* Quæ postrema verba sumpsit ex prædicto psalmo, exponens eum de iis, qui scientiam potius quam fidem sectantur. Non pauci docti viri perdidit fidem, et in hæresin lapsi sunt, quia veritatem non per fidem, sed per suum ingenium et humanas retinuculas investigare conati sunt.

V. Lac vino nobilior est liquor; hoc enim planta solum, illud vero ab animante et homine gignitur atque exprimitur. Fides etiam scientiam nobilitate præcedit, quia versatur circa res cœlestes et divinas, cum scientia tractet tantum terrenas et humanas. Nimirum voluit nos Deus per fidem inducere non solum ad cognitionem, sed etiam ad amorem rerum supernaturalium, ut spretis his terrenis, ad superna illa cœlestis pa-

triæ nostræ bona evolaremus; quæ cum omnem intellectum superent, necessario per fidem, ad eorum cognitionem elevari debemus. Unde S. Bernardus, in Cant. ait: *« Quid non inveniat fides? Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima: ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit. »* E contra scientia et sensus humanus humi repens non nisi terrena et sublunaria, eaque imperfecte nobis ostendit atque exhibet: *Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ non videntur, æterna,* ait apostolus, II. Corinth. IV. Videntur autem hæc per fidem, quasi *per speculum in ænigmate,* ut ait idem, I. Corinth. XIII. hoc est, obscure quasi per cancellos, sicut merces in officinis mercatorum videntur modo aliquo per crates vimineas aut ferreas. Fides ergo, velut aquila, cœlestia et æterna contemplatur, et consecranda proponit; scientiam vero et sensus hominis velut scarabeus in luto volutatur, et terrena solum ac fluxa pertractat. Fides oculus dexter est, quo uti nos decet in militia hujus vitæ ad tuenda et quærenda cœlestia: scientia vero sinister, clypeo tegendus, pugnamus, juxta id II. Cor. IV. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur (terrenis scilicet) sed quæ non videntur (cœlestibus).* At vero hostis humani generis imitatur regem illum Ammonitarum, Naas; qui non alia lege fœdus cum viris Jabes Galaad voluit ferire, nisi erutis eorum oculis dextris, I. Reg. XI. quo scilicet ad bellandum et sibi resistendum inutiles redderentur. Cum enim in pugna clypeos manu sinistra gererent, necesse erat ut sinistris oculis, clypeo tectis, impedirentur, quominus viderent hostem, et sine errore inferrent aut declinarent plagam. Quare dextris effosis oculis, perinde erat, atque si cæci forent. Idem ergo molitur Satan cum hominibus, ut exponit S. Bonaventura, in diæta salutis, tit. de virtut. c. II. *« Fides (inquit) comparatur oculo dextro; sinister oculus est ratio, quæ solum de naturalibus judicat: dexter vero est fides, quæ omnia tam naturalia quam miracula determinat, et intellectum in obsequium Christi captivat, ut dicit apostolus, II. Cor. X. Et sicut qui amisit oculum dextrum, inutilis est ad bella, quia scutum operit sinistrum, et sic nullum habet oculum, quo videat ferire, aut cavere adversarium; sic qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam spiritualem. Unde Naas dicit hominibus, vel viris Jabes Galaad: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium oculos dextros. Naas interpretatur serpens vel coluber, et signat serpentem antiquum, id est, diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum, id est, fidem, ut ad bellum spiri-*

tuale hominem reddat inutilem. » Et quidem qui cum hoc Naas, seu serpente venenato, fœdus inierit, eique subesse potius elegerit, quam cum eo ad mortem usque pugnare, oculum dextrum jam effossum habet, qui cœlestia neque videt neque curat, adeoque vitam pecorum potius quam hominum vivit, oculo suo sinistro non nisi terrenam spectans et desiderans. Incidit hic in opprobrium, quod inferre conabatur Naas viris Jabes Galaad, dicens: *Ponam vos opprobrium in universo Israel.* Turpissimum enim est non modo coram Deo et angelis, sed etiam coram hominibus hominem celo natum abjicere se ad pastum, velut mutæ animantes, et belluinam vitam degere. Talis fuit Nabuchodonosor, Dan. IV. cui datum est cor feræ, ut fœnum velut bos comederet, neque præter fœnum aliud cogitaret, donec datus est illi oculus dexter, quo Deum agnovit et cœlum aspexit. Talis fuit etiam sinister ille latro, qui sinistro solum oculo præditus, non nisi ea, quæ ad hanc vitam spectabant, exposcebat: *Si tu es salvum fac temetipsum et nos, hoc est, libera te et nos a cruce, ut vitæ hujus bonis frui possimus.* Contra vero dexter, dextro oculo instructus, non nisi cœlestia spectabat: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum,* de terra et vita ista nihil jam sollicitus. Ille igitur infideles, hic fideles representat. Cum hoc, vos auditores, custodite fidem vestram. Nolite inebriari vino scientiæ terrenæ sed potius: *Velut modo geniti infantes, rationale, sine dolo, lac (fidei) concupiscite, ut in eo crescatis in salutem,* I. Petr. II.

CONCIO V.

QUOMODO EXCIPIENDUS IN S. COMMUNIONE CHRISTUS VERBIS S. THOME.

Christus in s. communionem accipiendus. — I. Cum affectu intensæ fidei. — II. Cum affectu pudoris. — III. Cum affectu humilitatis et reverentiæ. — IV. Cum affectu gaudii spiritualis. — V. Cum affectu amoris.

THEMA.

Dominus meus et Deus meus. Joan. XX.

Quando aliquis magnum adire dominum vult, primum omnium cogitat vel interrogat: Quid loquar, et quid dicam ei? Sic Moyses missus ad filios Israel a Deo, interrogat primum: *Quid dicam eis?* et Dominus ad eum: *Sic dices: Qui est misit me ad vos,* Exodi III. Post paucos dies plerique nostrum adituri sunt dominorum Dominum in s. communionem, et cum eo cœnaturi. Prima rogatio sit: Quid loquar et quid

dicam ei? Aliqui existimant longas sibi preces esse recitandas; quæ tamen, quo longiores, eo fere leviores sunt, et ob evagationes Deo molestiores. Magni sane Domini non libenter audiunt multa, sed pauca et sapientissima verba. Unde etiam Christus, Matth. VI. *Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici: et Paulus I. Cor. XIV. In ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, quam decem millia verborum in lingua.* Juxta expositionem S. Anselmi vult dicere: Malo in ecclesia quinque verba loqui, quæ intelligam, quam decem millia, quæ non intelligam. Quinque igitur verba loquemur in Ecclesia, cum accedimus ad Christum, quæ tamen intelligamus. Ea nobis in ore nostro ponit S. Thomas in hodierno evangelio, nimirum: *Dominus meus et Deus meus.* Quinque omnino verba, sed prægnantia et sapientia; quæ quidem clara in se sunt, quia tamen magno Spiritus impetu prolata, ideoque incompleta sunt, varios affectus significant, vehementes et impetuosos, quos nunc declarabimus.

I. Affectum indicant intensæ fidei, quam clare intrepide profitetur, vere nimirum resurrexisse Dominum, et quod inde sequitur, esse verum Deum. Tametsi enim sensibus apprehendit Christum redivivum, nihilominus tamen credidit et firmissime quidem, hunc eundem, qui crucifixus et mortuus fuit, esse resuscitatum, necnon Deum ac Dominum suum. Unde S. Gregorius, hom. XXVI. ait: *Aliud vidit, aliud credidit: hominem vidit, sed Deum confessus est:* Deum non vidit, neque quod propria virtute se suscitavit. Abjecit ergo mox hoc judicium sensuum, et amplexus est fidem. Nos quoque ante omnia cum communicamus, eliciamus actum fidei, nec jam cum incredulo Thoma sensus nostros interrogemus, quia Christus dixit: *Beati,* h. e. beatiiores, *qui non viderunt et crediderunt,* sed potius cum fideli Thoma altius ascendamus, credendo in eucharistia esse verissime Deum ac Dominum nostrum, scilicet cum divinitate et humanitate sua; necnon divina virtute se posuisse ibi, ubi prius erat panis. Aliud ergo dum videmus (species nimirum panis) aliud credamus, verum scilicet Christum Deum ac hominem sub illis latentem, sicque sensuum carnalium involucria deponamus. Docuit hoc Deus typice in Moyse, cum ostendit illi rubum ardentem, incombustum. Magna enim certe res est rubus ardens, incombustus tamen; sicut etiam Christus in eucharistia, manentibus panis speciebus illesis. Ibi ignis circumdedit quidem rubum, non tamen inflammavit, nec consumpsit; quia Deus per miraculum suspendit ignis actionem negando ei concursum suum: hic in eucharistia sub specie panis continetur corpus Christi, nec tamen eam

consumit, quia illam sua potentia per miraculum sustentat, sed hoc quia sensibus percipi nequit, fide credendum est. Unde ad Moysen volentem rubi mysterium indagare, dicentique: *Vadam et videbo visionem hanc magnam*, respondit Deus: *Ne appropries huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est*, Exodi III. Sed cur hoc? S. Bernardus, in serm. super cap. XII. Apocal. exponit: *Solve calceamenta de pedibus tuis, et involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis*. Sensus ergo nostri corium seu pellis mortua sunt; judicia a sensibus formata, quasi calcei sunt et corio confecti. Hæc exuenda sunt in rebus fidei et mysterio isto. Quid enim calcei possunt, nisi humi ambulare? *Qui de terra est, de terra loquitur*, ait Joannes Bapt. Joan. III. sicut calcei de terra sunt, et in terra ac luto ambulat. Deponendi igitur, quia in fide sancta stamus. Decet hoc majestatem arcanorum divinorum, ut noctuæ suis oculis ea non rimentur. Idcirco etiam Christus antequam eucharistiam conficeret ac distribuere, lavit pedes discipulis, ac proinde calceos etiam detraxit, deinde sordes ac lutum absternit; ut indicaret suum nostrorum judicia, velut calceos et sordes fetentes, coram hoc mysterio abjicienda esse.

II. Affectum pudoris ac timoris antegressam pertinaciam incredulitatis, quasi diceret: O quid feci! Peccavi in Dominum et Deum meum, quia agnoscere te nolui, neque divinitatis tuæ potentiam credere, agnosco me reum. Sed nimirum præ doloris vehementia non potui absolvere sermonem. Nos etiam in accessu ad communionem agnoscamus nostram fæditatem ex peccatis, licet jam pœnitentia deletis, contractam. Tametsi enim vestis animæ nostræ resarta est, ostendit tamen assuturas et cicatrices scissurarum præteritarum. Resarcit pœnitentia vestem laceram, sed non delet habitus pravos, nec totum pœnæ reatum. Quis autem vir honestus coram rege non erubescit de veste lacerata et resarta? Exemplo sunt fratres Josephi, qui, ubi audierunt ipsum esse fratrem suum, quem vendiderant in Ægyptum, tamque inhumaniter tractarant, nimio pavore perterriti (licet advertissent sibi jam reconciliatum fratrem, ac dimissam culpam) non sunt ausi ad eum propius accedere; unde præcipere eis debuit: *Accedite ad me*. Et hoc etiam facto, necdum ei loqui poterant, nisi postquam omnes amplexatus esset, et plorasset super singulos, Gen. XLV. *Dolentes maxime quod tam bonum fratrem offendissent*, ait Josephus, l. II. antiquitatum, c. III. Cogitet ergo qui accedit ad s. communionem, quod et ipse, nequese mel deliquerit in Dominum et fratrem suum amantissimum, ac Salvatorem Christum. Et licet sibi recon-

ciliatum speret, erubescat nihilo minus obadmissa in ipsum scelera, tametsi jam remissa, nec audeat sine lacrymis ad ipsum accedere. In hujus rei typum jussit Deus, Exod. XII. agnum paschalem comedi cum lactucis silvestribus, Hebr. almerorim, h. e. cum amaris, in signum scilicet amaræ servitutis, qua in Ægypto servierant, ut sic ejus memores essent. Unde S. Ambrosius legit: *Cum amaritudine*. Pari ergo modo nos ad eucharistiam accedamus cum dolore et erubescencia, propterea quod paulo ante servierimus peccatis: sicque cum amaritudine aliqua agnum comedamus.

III. Affectum humilitatis ei reverentiæ, quem haud dubie, etiam indicant verba illa. Quare S. Augustinus, tr. CXXI. putat probabile esse, quod non ausus fuerit tangere Christum Thomas; idemque sentit Euthymius, et videtur colligi ex verbis illis Christi: *Quia vidisti me*, non ait: *Quia tetigisti*, licet hoc incertum sit. Certum tamen est, si tetigit, cum magno pavore, reverentia et humilitate, et haud dubie provolutum in genua tetigisse. Et quid sonant verba illa: *Dominus meus et Deus meus*, nisi hoc: O Domine, ergo servus tuus et creatura tua? Nos igitur simili modo accedamus magna cum reverentia et humilitate, velut servi ad dominum, creaturæ ad Deum suum; siquidem et ipse Dominus noster tam humili specie nulloque apparatu ad nos venit. Sane Rebecca quando ad sponsum Isaac ducebatur, videbatque eum a longe per agrum sibi obviantem et terra ambulatam, ubi audivit esse sponsum suum, mox e camelo in terram disiliit, et tollens cito pallium, operuit se, sicque et ipsa pedibus illi obviam ivit, Gen. XXIV. Ergo et tu, conspecto sponso tuo cœlesti, prodeunte in occursum tuum per agrum, h. e. in specie panis, desili quam primum de supercilioso camelo tuo, fastu scilicet et existimatione tui honoris, nobilitatis, scientiæ, opulentæ; nihil enim hæc coram Deo: *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? In planum*, ait Deus, Zach. IV. Zorobabel typus Christi erat, quia templi reparator fuit, et reduxit Hebræos ex captivitate Babylonis in terram promissam: Christus autem instauravit Ecclesiam, et reduxit nos e captivitate dæmonis in patriam. Mons, respectu collis, altus videtur, sed respectu cœli nihilo altior colle deprehenditur: sic nos mutuo comparati, superamus alter alterum honore, opibus, dignitate, sed respectu Christi omnes pares sumus; quia punctum, seu nihil. *In planum* ergo: ad terram usque nos humiliemus, et si fieri potest, infra terram. Præclarum hujus reverentiæ exemplum dedit Joannes Huniades regni Hungariæ gubernator: qui cum ægrotaret, noluit Dominicum ad se corpus deferri; indignum esse dicens servidomum intrare regem, jussitque sese, quamvis

deficientibus viribus, in templum vehi, ibique de more christiano confessus, divinam eucharistiam suscepit, atque inter sacerdotum manus, Deo animam reddidit. Ita Æn. Sylvius, in descript. Europæ, c. I. Qui sane princeps respectu plebis mons erat, coram Christo tamen nequaquam se altior plebe esse censuit. Faciant ergo colliculi, quod a mente factum audiunt. Arbor quædam idololatrica, si credimus Sozomeno, lib. V. hist. c. XX. apud Hermopolim culta, ad Christi in Ægyptum fugientis adventum, se inclinavit usque ad solum, cum venerata. Ergo arbores et dæmones Christum sic venerantur: tu non magis veneraberis?

IV. Affectum gaudii spiritualis ob conspectum Domini et magistri sui redivivi; quo recepto et reperto, omnia se habere credidit, adeoque exultans exclamavit: *Dominus meus et Deus meus!* Sic quoque et nos præ gaudio exsiliamus ob adventum tanti hospitis in communionem. De Themistocle, Atheniensium peritissimo belli duce, multisque inclyto victoriis, scribit Plutarchus et Probus, in Themistocle, quod cum e patria pulsus ad barbaros se recipere cogeretur, Xerxes Persarum rex singulari eum honore lætitiæque exceperit, seque fecilem asservierit, ob tanti viri præsentiam et amicitiam. Unde præ lætitiâ noctu in somnis sæpe dicebat: *Themistoclem habeo*, et subinde expectatus, ministros interrogabat, an secum Themistocles esset? Urbes ipsi præterea aliquot et opes ingentes dono dedit. Jam si peritus belli dux ita exhilarare potuit regem potentissimum, quomodo non magis exhilararet nos præsens triumphator mortis et inferni, qui cœlum nobis expugnavit et æquisivit? Jure ergo, I. Cor. V. ait apostolus: *Epulemur* (Græcæ, h. e. *fastum agamus, vel tripudium*) *in azymis*, scilicet eucharistiæ. Scimus Davidem totis viribus exillisse, saltasse et cecinisse coram arca, cum eam induceret in domum suam, II. Reg. VI. Quid autem arca illa, nisi figura tantum eucharistiæ fuit? Scimus Zacchæum cum gaudio recepisse hospitio Christum, Lucæ XIX. ei que ministrasse. Quid autem minus nos habemus? Et sicut ipsius domui salutem Christus attulit ac reliquit, sic eam et nos possumus sperare.

V. Affectum amoris, quo complexus est Dominum suum, quem prius adeo amarat, ut cum eo mori non dubitaret, dicens: *Eamus et nos et moriamur cum illo*, Joan. XI. præsertim quando cogitavit ipsum in sui gratiam iterum apparuisse, seque ipsi tangendum obtulisse; quo ejus amore, quasi in camino ustulatus, exclamavit: *Dominus meus et Deus meus!* Igitur et nos, expenso amore Christi, quo se transformat in speciem panis, et descendit ad nos ut nos pascat carne sua, rependamus amorem reciprocum. Ferunt aroxin herbam, igne eminus conspecto collucescere, propius admoto ignescere; ignem vicissim herbescere ad ejus conspectum: ubi vero semel invaserit, ne affuso quidem oceano extingui posse, donec totam in se converterit. Refert Pythagoras, apud Plin. l. XXI. c. XVII. Nos ad præsentiam tanti amatoris nostri non vicissim accendemur reciproco amore? Quid enim? Itane me, Domine, carne tua alere et in te vis transmutare? Magnum certe calorem concipere debemus, quando audimus Christum de cœlo in terras ad nos descendisse, et carnem nostram induisse. Majorem longe, cum nobiscum conversari, edere, bibere, nobis pedes lavare, denique pro nobis mori voluisse; tunc enim plane ignescere deberemus. At quando audimus, eum se nobis in cibum reliquisse, ut intime cum eo uniremur, sicque ignem istum nos etiam invassisse; tunc certe omnino ardere amore nos oporteret, et ita ardere, ut nulla unquam ratione refrigescere possemus. Sic enim Cant VIII. docemur, ubi cum sponsi dilectio vehementi igni comparata esset: *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum*, q. d. vehementissime ardentes; subdit mox: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, hoc est, quia ego te sic dilexi, ut non possem magis; utique tu quoque accenderis reciproco amore, ita ut hic amor noster mutuus nullis unquam tentationibus, persecutionibus, adversitatibus extingui possit. Atque hoc est, quod ait Joannes, Christum cum cœnam ultimam institueret, *in finem dilexisse suos*; ita videlicet, ut non posset magis uniri nobis, quo et nos in finem usque diligamus cum. Ergo quia sic nos diligit, redamemus eum, ne jure nobis objicere possit, Pharisæo quod illi: *Intravi in domum tuam, et aquam pedibus meis non dedisti, nec osculum mihi dedisti, nec oleo caput meum unxisti*, h. e. non honorasti, non amasti me, nec gavisus es propter me.